

finem aliquando habituros. Hominem absque insigni difficultate legem posse implere. Quae de *ἀδυναμία* implendi legem dicantur, *ἀπιστία* sapere. Laborare superstitione, qui in externis rebus, Baptismo, & S. Coena, salutem quaerat. Salutem non esse alligatam Scripturae. Fidelem absque Scriptura salutem aeternam consequi posse. Verbum Dei omnium, quotquot sunt hominum cordi esse inscriptum. Esse autem illud spiritum, non literam, imo Deum ipsum, absque charta, & calamo, divinis manibus cordi impressum. Id tantum ad salutem requiri, ut ei, qui in nobis est, obsequamur. Quam in rem media commendabat, mysticis tantopere laudata, Resignationem puta erga Deum, Collectionem mentis in Deum, Recessionem a creaturis omnibus, Sabbathum internum. His sententiis, scandali plenis, alios infecit, & nominatim cl. I. XXVII. Iacob. Cautium, Wormatiensis Ecclesiae ministrum, eundemque Evangelicae doctrinae addictum, cui sociam in vertendis, ex hebraico sermone, verum divinatorum oraculis, praestabat operam. Erat enim illius linguae apprime gnarus. Ipse vero ab Oecolampadio correctus, opiniones suas abiecit, conscripta, paulo ante obitum, lingua germanica, Confessione, eademque satis prolixa. Mortuus est Basileae, quae se receperat, anno 1518. vid. Hornbeck. l. c. p. 341. & Ottius in Annal. p. 43. qui libros Denckii enumerat.

§. XXII. *M. GABRIEL DIDYMVS* in valle Ioachimica natus, inter Monachos, ab Augustino nomen habentes, Wittebergae vixit. Fuit ex eorum numero, qui, Luthero in Pathmo haerente, magnas hic locorum excitarunt turbas. In negotio, de abolendo sacrificio missatico, quam importunus, & vehementis fuerit, Seckendorffius, in Hist. Luther. L. I. §. CXXX. p. 215. 216. pluribus persequitur. Postmodum Caroloftadio sese, nec non *M. GEORGIO MORE*, Scholae Oppidanae Reçtori adiunxit, & una cum iisdem, sociam quasi opera, in literas, bonasque artes, debachatus est. Hinc Scholas reiiciebat, & ex Cathedra Ecclesiastica, peculiari sermone, adhortabatur Parentes, ne liberos amplius Praeceptoribus informandos traderent. Idem iussit pariter *M. Georgius More*, habita, ex fenestris Scholae, ad cives praetereuntes, eam in rem oratione. Quibus effece-

effece-